



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De prima oblatione in Missa, panis & vini 88

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

cient, & tali forma, vt ad id populus suum Amen dicere possit? Quare etiam non docent populum, vt vnà cum ipsis oret, & gratias agat, quæ admodum D. Chrysostomus hoc loco ex natura & proprietate Christianæ communionis, & doctrina Spiritus S. i. Cor. 14. testatur ac docet?

Porrò quemadmodum populum tribus istis partibus spoliant, Doctrina scilicet, gratiarum actione & Oratione: sic etiam Sacramentis eum priuant. Communionem enim homines non docent, nec debita religione ac studio ad eam ipsos hortantur: imò quod omnium est grauissimum petentibus eam non integram administrant.

Iam quod de Oratione & Gratiarum actione pro absentibus quoque facienda scribunt, idem etiam liber Reformationis docet, & eiusmodi precandi formas præscribit. De Oratione pro Defunctis postea dabitur differendi locus.

Benè & hoc ab Aduersariis positum est, Nihil debere in missis esse priuatum.

Verum eorum missæ ita celebrantur, vt populo Christi nihil in eis commune fiat, quemadmodum mandauit Christus Dominus, & prisce Ecclesiæ omnes obseruarunt. Articulus igitur iste fermè in omnibus non libro Reformationis, sed Aduersariis aduersatur.

De altera questione principali. Vtrum in Missa quatuor sacrificia offerantur, nempe panis & vinum, Gratiarum actio, & Oratio, Christus Dominus ipse, & Ecclesia Christi.

De primo sacrificio panis & vini.

CAP. LXXXVIII.

DE CORVM quidem esset, Christianarum & primitiuarum Ecclesiarum Dei consuetudini consentaneum, si fideles, quoties ad S. Cœnam accedunt, panem ac potum pro pauperibus secumque adducerent & offerrent Domino: ex quibus portio quædam consecraretur, & distribueretur, quemadmodum ab Antiquis fieri solebat, vt ex eo quod supra ex adhortatione Cypriani ad Eleemosynam adduximus, item ex publicis supplicationibus & precibus tam Græcorum quam Latinorum, quæ super eiusmodi oblationes recitari consueuerant, videre licet. De qua re etiam S. Paulinus de Gazophylacio scribit: *Ne mensam Domini nobis vacuam, egenis verò sine cibis relinquamus: nec ibi ad speculationem tantum, non autem ad participationem stemus, ne pauperum gemitus per nostram socordiam expulsi in nos conuertantur.*

Nihilominus tamè, quoniã Dominus collationem & oblationem cibi ac potus ad mensam sacrâque Cœnam suam ipse nec instituit, nec in Cœna sua exercuit, nulla Ecclesia ad eam adigi potest. Interea tamè diligenter est monendus populus, vt oblationem ac munus suum ad S. Cœnam adferat, neque negligat id quod Dominus à veteri populo suo requisitum, nempe vt vacuis manibus coram oculis suis non appareant.

Et quantum ad istam consuetudinem pertinet, Aduersarij nullas nec ecclesias neque Ecclesiarum ordinationes inculcare possunt, quandoquidē eam apud se nō modō penitus interciderē permiserūt, sed, quod maius est oblationē fideiū, quę pecunia & cādelis sit, pauperibus omnino subtraxerunt, ad quos tamen solos tota & integra pertinebat: præfertim cum sacrificiis & sacerdotibus alioquin de corporali necessitate ac victu tam abundē prospectum sit.

Impia quoque est, & irreligiōsa socordia, imō peruersitas, dicta consuetudine ad mensam Domini offerēdi prætermisā, penitusq; collapsa, veterū orationes ac verba, quę super memoratas oblationes pronūciarunt, tāta pōpa ac ceremoniis in qualibet S. Cæna recitare, utq; recitetur seridē exigere: cū tamē eiusmodi oblationes nō adsint: eāq; ob causā taliū precationū verba nemo rectē, pleriq; verō deprauatissimē & maxime scādaloſe intelligāt. Verū de hoc in Respōsione ad tertiā quęstionē.

Aduersarij hoc loco ex oblatione panis & vini merē significatiuū sacrificiū faciūt: qua de re nec in S. scriptura, neq. in S. Patribus vllā doctrinā habēt. Considerarūt quidē S. Patres, & meditari docuerunt in pane & vino, quę tunc temporis fideles ad mensam Domini offerebant, mysterium vnitatis & cōmunionis, quam in Christo cum ipso, & inter nos inuicē habemus, per quā vnus panis & vnū corpus Christi sumus.

In quo naturā quoque panis & vini perpēderunt: quemadmodū enim panis, ut etiā vinū, ex pluribus granis in vnā substantiā massāque redigitur: ita nos qui multi sumus, in vnum corpus cōpingimur & coagmentamur. Vnde & D. Ireneus scribit, Offerimus ea quę sunt eius, congruenter communicationem & vnitatem prædicātes carnis & spiritus.

Lib. 4. ca. 34. Verū oblationē istā panis & vini veteribus mysteriū fuisse, cui cōgruat id quod nostro tempore Diiconi siue sacerdotes paucillum panis, & pauculas guttas vini in calice conficiunt, id longē aliter se habet.

Lib. 4. ca. 34. D. Ireneus inquit, Ecclesiam idē hanc oblationem offerre, ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati simus, ei que seruire discamus. Citātque dictū Salomonis, Qui miseretur pauperis, sceneratur Deo: item verba Domini, Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & potastis me, &c.

Hoc idem etiam in secretis quibusdam est videre, ut in eos quā Dominica quinta post Pentecosten legunt, quę sic se habet, Deus qui legalium differentium hostiarum vnus sacrificij perfectione sanxisti, accipe sacrificiū a deuotis tibi famulis & famulabus, & pari benedictione sicut munera Abel sanctifica, ut quod singuli obtulerunt, ad maiestatis tuę honorem, cunctis proficiat ad salutem. Sic Secreta Dominicę sequentis, sacrificiorum populi & septimę Dominicę, Eius quod singuli obtulerunt, meminit.

In his notandum, quod dicitur, Oblationis famulorum & famularum tuarum. Item, Quod singuli obtulerunt: quod sanē veteres non solum pro mysterio verumetiam pro sacrificio cibario ac nutritorio Domino Deo in pauperibus & egenis obtulerunt.

Quę misericordię opera, quando ex vera fide fiūt, atque idcirco sunt instar realis precationis pro gratia Dei per Christum Dominū nostrū, non

non male quædrat orare, vt eiusmodi oblationes in & per Christū Dominum proficiant hominibus ad salutem. Aduersarij dicunt, Se in oblatione panis & vini confiteri, quod Dominus Deus, qui omnia creauit, ac solus sustentat, dona sua tam corporalia, quam spiritualia liberaliter nobis elargiatur: imprimis verò quod nobis filium suum redēptorem & liberatorem misit, eumque nobis det in cibum vitę æternæ. Hęc afferunt oblationis suę significationem. Et quidem elegans hic color esset, siquidem & parietem cui colorem istum inducere conantur, recipere vellent. At quis obsecro Missatorum de tali confessione vnquam cogitat, vel populum instituit?

Benedictio quidem & gratiarū actio, quā, vt Euangelistę cōmemorāt, Dominus faciebat, cū panem & calicem in manus accepisset, sine dubio fuit, sicut aliās scriptura de benedictione & gratiarum actione sanctorū loquitur, confessio ac celebratio diuinę bonitatis & beneficentię, coniuncta orationi pro gratia & benedictione eius. Si igitur offerre panem & vinum est & significat Deum pro talibus donis celebrare, ac beneficia eius enumerare & predicare, eumque pro vltiori benedictione & gratia inuocare, certè Liber Reformationis huiusmodi oblationem non prætermisit, sed obseruandam & exercendam ordinauit.

Quod si dicāt Aduersarij, Oportere vt in ista gratiarū actione panis & calix in manibus teneatur, quemadmodū fecit Dominus, tū referendum illis est, quod nec ipsi in missis suis id faciant. Quādo præfationē suā legunt, tunc manus quidē attollūt, panē verò & vinū iacere sinunt. Adhęc res ipsa nō in externis gestibus & signis posita est, sed in verè fideli oratione & gratiarū actione. Ex præcationibus primæ oblationis tã in Latina quàm in Gręca Missa, manifestū est primos earū compositores hoc quoque pro oblatione panis & vini intellexisse, quādo orarunt, vt Dominus velit dona à fidelibus collata, sibi verò oblata, sanctificare, & largiri, vt ex eis corpus & sanguis fiat, vtque Deus hunc cultū sibi gratū & acceptum, suauisque odoris oblationem esse permittat. Ad extremum notet Christianus Lector circa hunc locum Aduersarios quòd panis & vino suo furo quodam patrocinentur, ad ea adiungere Oblationem Christi Domini & passionis eius, item fidelium mentium, oblationem videlicet Ecclesię & communionis Christi, hoc est, omnes tres residuas oblationes, quas missæ attribuunt. At quid hoc aliud est, quàm id quod antea affirmare, rursus negare: posuerunt enim panem & vinum esse peculiarem oblationem à reliquis separatam?

Si enim Ecclesia non ad panem & vinum per se respicit, sed potius ad adiunctam confessionem, gratiarum actionem & orationem, item ad Christum Dominum ipsum & passionem eius, vnà cum oblatione ac deditio in obedientiam illius: sanè panem & vinum conficere atque offerre, non est peculiaris Oblatio Ecclesię, sicut antea posuerunt. Quare color eorum nō hæret, suntque nihil aliud quàm inania verba & nugę, quęcunque dicunt, quibus horrendos abusus suos in hac actione fugare conantur. Perpetuò tentant verbis & actionibus S. Patrum se tegere, re ipsa autem res imitari nolunt.

Veteres reuera panem & vinum apud S. Cœnam obtulerunt. Populus enim ad mensam Domini accedens panem & vinum secum adferebat, ad confitendum fidem suam, seque gratum Domino & pauperibus eius fructuosum demonstrandum. Hęc sanè realis oblatio erat per se: non quidem sine Christo, fidèque propria, & traditione in voluntatem & obedientiam Christi: adhuc tamen considerata in se ipsa alia erat oblatio & diuersa à sequenti gratiarum actione, oratione, ac memoria Christi & passionis eius. Iam Aduersarij Oblationē panis & vini, quibus Christus Dominus in pauperibus suis cibari ac potari debet, penitus intercidere permiserunt, & id quod in locum illius successit, videlicet pecuniā & alia id genus dona. ad se rapuerunt: quam postea rapinam exigua particula panis & pauculis guttis vini consecrati compensare & exequare volunt, qui abusus apud eos obtinet: faciuntque existis significatiuū sacrificium: de mystica vero significatione eius nihil vnquam docent. Quamobrem vt sepius iam dictum est, omnis istorum hominum disceptatio est de inanibus signis, & externis ceremoniis, sine opere & veritate pietatis. Cuiusmodi fuerunt omnium illorum hominum facta, contra quos omnes Prophetæ, Dominus ipse, & Apostoli tam seriò clamarunt.

Summa huius Articuli hæc est. Primò Panem & vinum ad S. Cœnam pro pauperibus offerre, quemadmodum solebant veteres, Christianum quidem ac decorum esset: ceterum non est à Domino mandatū. Quamobrem Aduersarij, qui hanc offerendi consuetudinem ipsi non obseruant, & id quod in locum eius successit, à pauperibus abstractum ad se rapuerunt, non habent quod Librū Reformationis quoad Oblationē, sed ipsos, & omnes complices suos insimulent. Liber enim Christianā hanc offerendi rationem ad S. Cœnam docuit & ordinauit.

Secundò, Quòd Oblatio panis & vini tantummodo significatiuum sacrificium sit, quemadmodum Aduersarij comminiscuntur, de eo neque scriptura neque Antiquorum obseruatio quicquam nouit. Et quoniam Aduersarij mysticam eius significationem, quam tradunt, ipsi non exercent, necesse est vt falsò conficta eorum oblatio non modo nō frustranea & inutilis sit, verum etiam diuinæ maiestatis, cui in spiritu & veritate seruire debemus, grauissima offensio: præsertim cùm veterum verorum sacrificiorum cibariorum verbis non solum sine intellectu, verumetiam ad offensionem & scandalum abutantur. Merito igitur Aduersarij quantum ad confictum istud sacrificium significatiuum attingit seipsum, non librum Christianæ Reformationis accusare debebant.

Tertiò, Si Panem & vinum offerre, est Deo super illis gratias agere, neque hanc offerendi rationem Liber silentio præteriuuit. Tamen nullo modo conuenit, per eiusmodi non intellecta nomina, cùm alioquin propria ac probè intellecta vocabula haberi possint, rudioribus ac simplicioribus laqueos iniicere, clarumque veritatis lumen tenebrarum nebulis offuscare.